

33.

35

GEORGII HENRICI GOETZI, D.

Superint. Lubecens,

DISSERTATIO  
THEOLOGICA,

De

CULTU JUDÆ,  
PRODITORIS,


In

Examine Vernali,

Lycei Lubecensis,

D. III. APRILIS A. MDCCXIII.

exhibita.



L U B E C A E ,

Ex Typographia Schmalhertziana.



### §. I.

Emporis præsentis festivitas singulis in memoriā revocat acerbissimos illos cruciatū, atqve poenam mortemque vicariam, qvam pro nobis universis totius generis humani Redemptor subiit, nosqve insimul respicere jubet, tum ad DEum Patrem, qvi proprio filio suo non pepert, sed illum pro nobis omnibus tradidit, Rom. II. 32, tum ad Filium ipsum, qvi misericordia commotus semet tradidit pro nobis oblationem & sacrificium DEo, Ephes. V. 2, tum ad peccata hominum, propter qvæ est traditus, Rom. IV. 25, Ef. XZIII. 24, tum denique ad ipsos homines, qvi variis modis eundem afflixerunt, nec non perturbatione & dolore affecerunt, Hos inter referri iure suo meretur Judas, proditoris nomine notatus, qvi Doctorem suum fidelissimum, dato eidem osculo, Judæis indicavit, qvo manus conjuratorum permagna eundem eò melius capere, atqve ad supplicium truculentissimum rapere posset. Qvamvis autem omnes hunc hominem id propter causæ odio habeant, atqve abominentur, nonnulli tamen, qvod mirum dictu est, eundem laude maestandum, ejusqve factum imitatione dignum esse, existimant, imò Ecclesiam, qva meliorum est partium, ipsius memoriam in pretio habere, & conservare, satis audacter atqve invidoie criminantur. Hinc subnascitur cultus Judæ, qvi vel vere eidem defertur, vel per calumniam ipsi præstari fingitur. Et de hoc ipso, in gratiam Juventutis Scholasticæ, qvæ nunc ad Examen consuetum iterum vocatur, per brevem Exercitationem Theologicam conscribere in annūm meū induxi, DEum devota mente precatus, & colens, ut labores hosce sacros faustos & felices esse jubeat, piosqve ab insidiis malorum, qvæ eisdem indies indiesqve strui solent, liberare sustineat!

§. 2. Antiquiora autem secula, Christi, terram hanc obambulantis, etati proxima, commemorant Cainos, seu Cainæos, qvi Judam coelendum esse, commenti sunt, qvippe qvi cum in finem Magistrum suum Judæis ad occidendum tradidit, qvo genus humānum magno ab eo beneficio maestaretur. Meminit eorum Tertullianus, de Prescript. Hæretic. C. XLVII. f. 221. Hi, qui hoc adserunt (Cainum scil. magnificantes) etiam Judam proditorem defendant, admirabilē

lem illum & magnum esse memorantes, propter utilitatem, qua humano generi consilisse satatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iude proprie hanc causam redditam putant. Animadversens enim, inquit, Judas, quod Christus veller Veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti Veritatem posset. Et alii sic contradicunt & dicunt: Quia potestates huius mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsum salus pararetur, salutis consalens generis humani, tradidit Christum, ut salus, qua impediatur per virtutes, qua obstatibant, ne pataretur Christus, impediri omnino non posset; & Ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Eosdem Philastrium, Episcopum Brixensem, in mente habuisse credo, dum in Catalogo Hæresium, Helmstadii A. MDCLXXVI, recuso, Hæres. XXXIV. p. 10. seqventia est commentatus: Alii ab Iuda traditore instituerunt hæresin, dicentes, bonum opus fecisse Judam, quod tradiderit Salvatorem. Hic enim, inquit, nobis omnis scientia bona auctor extitit, per quem cœlestia nobis mysteria manifestata sunt: Virtutibus eternis in celo molentibus pati Christum, & scientibus, quod si fuerit passus, donatus sit hominibus vitam. Hoc sciens, inquit, Judas, quod si fuerit passus Christus, salutem hominibus allaturus esset, hinc tradidit Salvatorem. Idem Philastrius, Hæres. XXXVI, p. 17. Cerinthi dogmata erronea commemorans, refert, cum statuisse, Judam traditorem esse honorandum. Fuse de iisdem agit Epiphanius adv. Hæreses L. I. T. III. Hæres. XXXIX. f. 278. sqq. eorum insimul argumenta refutans, coll. August. de Hæres. C. XIIIX. Notisque Lamb. Danie f. 930. Opp. L. Dan. Ipse autem Judas defensores suos rejicit, quippe qui dixit, se enormiter peccasse, sanguinem innocentem tradendo. Matth. XXVII. 4. Quomodo itaque de eo dici potest, quod bonum opus fecerit? Recte, meo iudicio, Firmilianus ad Cyprianum (Epist. LXXV. f. 218. Opp. Cypriani edit. Oxon.) scripsit: Neque Judas perfidia sua & proditio, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum ipse præsriterit, ut per illum mundius & gentium populus (vel, ut alii legunt, passione Domini) liberaretur. Quamvis enim Judas Salvatorem non prodiisset, tamen ipsum Redemptionis opus ab eo fuisset peractum. Exfunto hic confatalia, non enim necessaria passioni fuit Herodis, Pilati, Iude manus socia: potuisset Pater cœlestis Filium immediate cruciare, matare, sacrificare, sicut Abraham Isaacum, prout Dannhauerius in Hodosoph. Phenon. III. p. 306. loquitur. Plura de hoc arguento peti possunt ex duabus Dissertationibus, quas D. Jo. Frid. Mayerus, in Acad. Gryphianwald. A. MDCCII. proposuit, in quibus expendit illam questionem, abstrusam quidem, utilitatis ta-

mēn plenissimam: *Utrum ipse Deus necem Redemptori intulisset si abstinuerint homines?*

§. 3. Ulterius progrediuntur alii, cultu Judæ exhibendo  
haud contenti, existimantes, ejus quoque salutem minimè esse in du-  
biū vocandā. Hæc sententia tributa olim fuit Michaeli Balbo,  
Imperatori Græco, avaritiae deditissimo, cuius ætas in Seculum IX.  
incidit, prout eadem Jo. Zonaras Annal. L. XV. f. 136. edit. Paris. A.  
MDCLXXXVII. hisce verbis, latino idiomate ita fluentibus, expressit:  
*Resurrectionem mortuorum non credebat; eoque futura bona fugillabat, & Prophetas irridebat, Dæmones esse pernegabat, scortationem peccatum non judicabat, Iuda salutem ominabatur.* Num verò Judæ apotheosi decreta eum beatis adnumeraverit, ceu Th. Raynandus in *Juda proditore* p. 689. all. Th. Ittigio, in eruditissima *Dissert. de Hæretarchis Scæc. II.* C. III. p. 115. refert, certo affirmare nequeo, cum ex adductis Zonarae verbis hoc tantum colligi videatur, Balbum Judæ salutem tantum fuisse ominatum, vel, ut *Centuriatores Magdeburg. Hisp. Eccles. Cent.* IX. C. VI. f. 227. loquuntur, cum sensisse, *Judam adhuc salvandum esse.* Apertius postea, ac magna quidem animi contentione, Judæ salutem propugnavit quidem Anabaptistarum, cui nomen fuit Weke Wallæs, qui in districtu Gröningiano, A. MDCLXXXVII. affirmavit Judæ probitatem & salu-  
tem, eundem Christum tradendo plane non peccasse, imò nec Scribas & Sacerdotes aliquid criminis contraxisse, nec non utrumque latro-  
num in regnum cœlorum introisse. Hasce autem opiniones tanta im-  
pudentia & vehementia defendendas esse censuit, ut dissentientes, ceu in Spiritum Sanctum blasphemos, excommunicationis fulmine feri-  
ret. Meruit hæc insaniam severam Magistratus censuram, quam etiam  
expertus est, cum in exilium mitteretur, atque ejus fidei socii tota Frisia  
expulsione digni judicarentur. Leg. Jo. Hoornbeekii *Summa Controver-  
siarum Religionis* p. 348. edit. Colberg. A. MDCLXXVI. Spectat huc  
Jo. Denckius, *Bavarus*, sec. XVI. notus, qui, eodem Hoornbeekii l. c. p. 341.  
notante, errorem hunc disseminavit, neminem, ne Diabolorum quidem, in æternum perditum iri. Hoc ipso salutem Judæ pari ra-  
tione ivit defensam. Et quem, quæso, latet, novi ipsius Evangelii, quod  
nostra ætate magno nisu & impietate defendi solet, conditores, damna-  
tis

tis atque Angelis lapsis liberationem in extremo judicio promittentes, amice cum Iudea Patronis conspirare? Quamvis autem hunc Virum, qui per plures annos à Christi ore pependit, beatorum magis, quam damnatorum ordini adnumerarem, tamen in hunc usque diem perspicere nequeo, quia ratione illud fieri possit, cum ipse Salvator horrendum Væ illi denunciaverit, censens, bonum illi esse, si planè homo iste lucem hanc non adspexit, Matth. XXVI, 24. Jam verò si Iudea salus speranda foret, bonum utique eidem fuisse, aliquando inter homines versari. Deinde vocat cum filium perditionis, Job. XVII, 12, eò quod æternum sit interitus, cum contrareliqui sint servandi, atque omni exitio liberandi. Frustra hinc perditissimi ac profligatissimi omnium mortalium salus asseritur ac defenditur.

S. 4. Qvilibet deinde haud difficulter animadvertiset, Græculos qvodam somniasse, ac delirasse, dum statuerunt, Judam non sine ratione vitam sibi ademisse, ejusq; animam eam obrationem in infernum descendisse, quo Christus, cuius descensum ad inferos perspectum habuisse est fertur, eandem educeret, atque in columnem redderet. Prolixius eorum sententiam ex antiquis Scriptoribus excerpit Leo Allatius, de Libris Ecclesiasticis Græcorum, p. 218, sq. edit. recent. Hamburg. A. MDCCXII, hoc tandem superaddito monito: *Si Judas Christum expeditabat ad beneficium à Christo accipientum paratus, credens tanto miraculo, ideoq; vitam sibi eripuit, jam redivivus Apostolus, suo throno, cum omnes iudicio divino subiecierunt, sedebit. Sed Nuge.* Notum præterea est, non cum in finem Christum descensum ad inferos instituisse, ut animas inde revocaret, sed ut ostenderet, se portas infernales subjugasse. Simpliciter enim credimus, quod tota persona, DEus & homo, post sepulturam, ad inferos descenderit, Satanam devicerit, potestatem inferorum everterit, & diabolo omnem vim & potentiam eripuerit. Vid. Form. Concord. Art. IX. p. 788. Ut non attingam, ipsum Judam, qui cum reliquis Apostolis regnum tantum mundanum Messiae fore arbitrabatur, non tam accuratam habuisse notitiam ieiuis descensus Christi, vel si res ipsi notissima fuerit, eundem minus reget de isto negotio sensisse, atq; adeo semetipsum in perniciem detrusisse.

S. 5. Progedior nunc ad Pontificios, de quibus constat, quod Judam, & imitantur, & colere soleant. Demonstravi hoc ipsum prolixus *integra Dissertatione*, A. MDCCVI, publici juris facta, de Parallelismo,

lismo Iude Proditoris & Romana Ecclesia, ad Artic. Smalcald. P. 2. Art. 2.  
 commentans, ad quam hic tantum provocare volo. Nunc vero mihi  
 ostendendum erit, eosdem resti illa, quam Judas olim collo injecit, fuil-  
 se delectatos, atque eandem Romae olim assertasse. Ejus rei ergo Scri-  
 ptores sequentia tradunt, restim illam, qualiteram longa ex se fecit Judas,  
 Romae olim inter sacras reliquias pependisse, quam illustris ille bellator,  
 Fronsbergius, rei insolentia delectatus, detrahens, instar singularis spolii Au-  
 gustam Vindelicorum deportaverit. Leg. Casp. Bertrami Commentarii in  
 Matthaeum p. 785, qui recte hanc subiungit etiā in quod: Restis haec extra ve-  
 ritatis certitudinem hodiecum vagatur. Cui addatur Georgii Gatziet  
 Diatribe Academica, de Suspendio Iudee, Jenae A. MDCLXI, conscripta,  
 §. 10. qui §. 14. bene monet, Augustanorum sacras reliquias ipsis sancte cu-  
 bodiendas relinquendas esse. Add. Caspar. Sagittarii Harm. Pass. Jesu Chri-  
 sti p. 499. & M. Jo. Frid. Hebenstreitii Dissert. Philolog. de Iudea in qua p. 77,  
 Vitemb. A MDCCXII, proposita, §. XVII. p. 23. Ita vero tempore, quo  
 haec restis inventa fuit Romae, D. Martini Aichmanni, Cancellarii Wur-  
 tembergiaci, & Consiliarii Saxonico-Electoralis, cognatum praesentem  
 fuisse, & funem detraxisse, refert D. Matthias Hoë ab Hænegg, in Homili-  
 funebrib. p. 440, ita scribens: Unter andern ist ein Aichmann mit Fronsbergio  
 nach Rom gezogen/ da bey Kaiser Carl des Gümstien Hochlöblichster Gedächtnis  
 Zeiten Rom eingommen worden. Und hat unter seeliger Herr D. Aich-  
 mann oft mit Lust erzehlet / wie kühn sein' Vetter es gewaget / daß er zu  
 Rom/ in St. Peters Kirchen/ den Strick herab genommen / von wel-  
 chen die Papisten gedichtet/ daß es der Strick sey/ an dem sich Judas er-  
 hänget / und mit welchen sie/ gleich wie mit andren Sachen/ grossen  
 Überglauben gestiftet hatten. Nullum ergo dubium est, funem hunc  
 Roma fuisse conspectum assertatumque, ac postea Augustam Vinde-  
 licorum translatum. De ipso autem Georgio Freundtsbergio, vulgo Frons-  
 bergio dicto, quem Deus odio Papæ impleverat, & sub quo Aichmannus  
 militaverat, cum Iude restim inveniret, prolixè commentatus est  
 Spangenbergius in Spec. Nobilit. P. II. L. VI. C. XX. f. 54. & L. XI. C.  
 XXXV. f. 229, sqq. coll. Budei Lexico Univers. Germ. P. II. f. 182. Idem  
 Lutherum nostrum, cum Wormatia in Comitiis ipsi esset comparen-  
 dum, hisce verbis, manu ejus humeros leniter tangente, compellavit:  
 Münchlein/ Münchlein/ du gehest jezo solchen Stand zu thun/ vergleichet ich und  
 mancher Oberster auch in meinen allerersten Schlacht-Ordnung nicht gethan haben.  
 Bistu auf rechter Meynung/ und deiner Sachen gewiß/ so fahre in Gott

tes Nahmen fort / und sey nur getrost / Gott wird dich nicht verlassen.  
 Qvanvis autem Marte inclitus fuerit, magnamque belligerandi arte  
 laudem sibi conciliaverit, hoc tamen judicium suo tempore de bellis  
 tulisse dicitur, notante Spangenbergio l. c. f. 231. b. Drei Dinge solten einen  
 jeden vom Kriege abschrecken. Erstlich die Verderbung armer unschuldiger Leute, darnach/  
 das unordentliche gottlose Leben der Krieges Leute, und zum dritten die Undankbarkeit der  
 Fürsten, bey denen die ungetreuen hoch kommen / und reich werden / die wohlverdienten un/  
 belohnt bleiben. Utinam nostra ætate Belli Duces huic monito morem  
 gererent, atque Reges & Imperatores ab injustis bellis dehortarentur,  
 eisdemque nuncium mitterent ! Sed è diverticulo mihi in viam re/  
 deundum est. In eam itaque devenio sententiam, Pontificios olim  
 sensisse, restim Judæ, eo quod hic Christi Apostolus fuerit, inter res  
 pretiosissimas esse referendam, ob antiquitatem & rei gestæ memo/  
 riam. Qvodsi nunc illius copia neque Augusta, neque Roma, fieri  
 posset, tunc sanè haud abs re dicendum foret, Curiæ Romanæ  
 Fautores datâ operâ hoc neuerū inter res desperditas rejecisse,  
 ne à prudentioribus exagitentur, ac si ejusmodi reliquias cre/  
 paverint, qvæ derisum effugere haud possent. Hac si qvidem  
 ratione reliquias, à simplicioribus excogitatas, ab aliis repudiatis  
 fuisse, ipse Georgius Schererus haud diffidetur, in Homiliis de Reli/  
 quiarum cultu habitis, & Ingolstadtii A. M D C I V. p. 94. impressis, ita  
 scribens: Damit einer stükme/ nicht allein mit ungewissen/ sondern öffentlich falschen Heyl/  
 thumbern aljeney der füngaber hätte des Oels aus den Lampen der fünff weisen Jungfrauen/  
 ein ander zeiget einen Zehen vom Fahn/ den unser Herr in der Hand soll geführet haben, wie er  
 die Vor. Höll gesümert / ein ander röhmet sich/ er hätte von den Flügel St. Gabrels / oder  
 ein Zahn von einer Seelen aus dem Fegeneur ic. Da wolle ich nicht allein zweifeln / sondern  
 frey urtheilen/ daß nicht rechte/ sondern falsche verdichte und erlogne Heylthumb seyen. Der  
 Kläng verräthet die falsche Münze. Alß bald wenn man nur von diesem und vergleichnen Heyl/  
 thumbern höret redn / erkennet man leichtlich den Falsch und Betrug/ der darunter stecket.  
 Laudo qvidem Viri, cuius verba hic adduxi, candorem, nonne autem  
 inde inferre licebit, varias à Pontificiis proferri reliquias sanctorum,  
 dignas qvæ suppositiis adscribantur ? Sed in variis locis tum particu/  
 lam restis Judæ, tum ejus siclos argenteos asservari, tradit Maxim. Misso/  
 nius in Itinerar. p. 130. 486. & 935.

S. 6. Referendi deniq; huc sunt illi, qvi Judam imitari solent. Sic  
 Circumcelliones, Sec. IV. in Africa notissimi, non solum aliis nocebant,  
 ipsorum scilicet vita insidiantes, sed etiam sibimetipsis manus injicie/  
 bant, rati, se hoc modo martyrii laudem esse consecuturos, prout  
 Donatistæ eos magnis prosequabantur honoribus, qvi vel à percusso-

ribus conductitiis occidebantur, vel se ipsos interfecerant. Prolix de hisce hominibus sceleratissimis egit M. Suante Gustavus Dietz, in *Dissert. Historica, de Circumcellionibus*, qvæ Lipsia A. MDCXC. est ventilata, nec non Herm. Witius *Miscell. Sacror. T. I. Lib. IV, C. III. §. V. p. 702. sq.* Eos itaque Augustinus, quippe quem valde affixerunt, rectè vocat *inimicos Christi, amicos Diaboli, discipulos seductorū, condiscipulos traditorū, subiecti, sponteas mortes ab uno magistro utrosque didicisse, illum, (Judam puta) laqueum, bosco precipitum: Conf. Lib. II. ad Literas Petilianas, c. XLIX. f. 122, T. VII. Opp. Baij. MDLXIX.* Qui paulo ante ad *Petilianum seqventia direxerat: Tu certe dixisti in primis partibus huius Epistole, Laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit: Hoc ad nos omnino non pertinet: Neque enim veneramur nomine martyrum eos, qui collum ligaverunt. Illicitam autem hancce imitationem esse, inqve ipsiis divinis literis prohibitat, atque singulis magnum afferre detrimentum, prolixiore haud indiget demonstratione.* Conf. *Gisb. Voëtius P. IV. Disput. Theol. de Homicidio & Leſione sui ipſius, p. 245. sqq. & Barthol. Botſacci ac Sam. Schelvigij *Dissert. Ethica, de Autocibria & Spontanea morte, Gieſſe & Gedani A. MDCLXXIV. & MDCLXXIX.* propos.*

§. 7. Missis itaque iis, qui vere Judam colunt, & insegruntur, nunc ad eos pacis me consero, qui Ecclesia Lutherano Evangelice addictos Judæ cultores & imitatores esse criminantur. Spectant autem hoc *Socinianū*, improbantes usum *Luminarium* in sacra cena, quem non à Christo, hora tertia pomeridianâ circiter Coenam celebrante, sed à *Jude & Pharisaeorum turba, lucernis Christiū quarente, mutuatam esse, nugantur.* Verum Sarcasmī de Judæ facibus remittendi sunt Autoribus. Etenim negamus, Christum interdiu coenam ultimam paschalem habuisse, sed tenebris jam exortis, usumq; candelarum exigentibus. Deinde dicimus, memoria causa, ut noctem illam, qua Coenam instituit, memoria hand excidere patiamur, luminaria accendi. Conf. *Scherzeri Collig. Anti Socinian. p. 114, & Calvini Opp. Anti-Socin. P. III. f. 502. Quidam Calviniani adjungendi sunt, panem, quo nos in administratione Coena Dominicae ut solemus, seu Hostias, rejicientes. Inter eos enim Antonius Pratorius all. *Jo. Affelmanno Exercit. Academ. Syntagma, P. I. p. 902.* seqventia tradit: *Nummulariis hinc panibus nos non tam mortui Christi, quam pridentis Jude, memoriam instituere. Huic enim opponimus) iudicia fidei sua Doctorum, qui hostias, verum panem esse fatentur, collecta à Scherzeri in Coll. Anti-Calvin. p. 520, art. 2; a) descriptionem panis, qui ex farina & aqua virtute ignis coctos, sapidus & frumenti aptus est, hinc subfumentes, panes nostros rotundos constare farina & aqua, mola confringi, igne coqui, atque nutrioni, si magni numero sumantur, inferire.* Convitum vero illud, quo nostram Ecclesiam petere voluit, DEO commendamus, qvino ab omni Judæ cultu & imitatione absolvet. De cetero non Judas improbus, sed optimus Judæ Magister, est colendus, non detestanda Judæ facta, sed salubria Christi mandata, merentur imitationem. nec iniquissimi Judæ ad exemplum proximusest prodendus, sed, ad Christi exemplum & mandatum, sincere amandus, beneficiis ornandus, posterisq; serio commendandus.*





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

33.

35

GEORGII HENRICI GOETZI, D.

Superint. Lubecens.

DISSERTATIO  
THEOLOGICA,

De

CULTU JUDÆ,  
PRODITORIS,

In

Examine Vernali,

Lycei Lubecensis,

D. III. APRILIS A. MDCCXIII.

exhibita.



L U B E C A E ,

Ex Typographia Schmalhertziana.

